



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Missae sacrificium à diabolo semper oppugnatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

noscant, Ecclesie eiusque ordinibus obrectare. Videmus enim etiam rabiosos canes celo oblatrare. Sed frustra. Facile enim a lupo, ne detrahatur, Luna sibi cauebit.

DE MISSÆ SACRIFICIO, ET  
hæreticorum in eo abolendo  
conatibus.

## CAPUT XIV.

## ARGUMENTUM.

- I. Missa sacrificium à diabolo semper oppugnatum.
- II. Eius institutio.
- III. Forma, Ecclesia arbitrio & dispositioni à Iesu Christo permissa.
- IV. Missa nomen unde.
- V. Ceremonia substantiam non mutant.
- VI. Non de vocabulo, sed de re ipsa disputandum est.

**V**ersutus ille Panurgus nulla in re quã in iugi illo & quotidiano sacrificio abolendo, maiori conatu semper elaborauit: ut qui bene nouit omnia salutis nostræ mysteria, eorum qui in persona Saluatoris nostri miraculosè contigerunt, memoriam contineri: qualia sunt, Incarnatio, S. Eucharistie institutio, Passio & Mors, Resurrectio & Ascensio Saluatoris. Idem propitiatio est inter Deum & homines, solidum Christiane religionis fundamentum, æternæ salutis pignus, mortuorum ac viuorum solatium. Quid ergo mirum, quod versipellis ille Sathanas eorum quoque salutem per Caluini eiusque doctrinam insidiatur, animos tanto odio & rabie erga salutare illud sacrificium accendit, Hoc illi in Noui Testamenti libro, quem assidue secum circumferunt, sollicitè indagant & venantur; ubi veto ipso vulgari, Missa scilicet, nomine expressum non inueniunt, statim sublatis in cœlum manibus, multis cum suspirijs exclamant: O cœlum, ô terram! sicine à tot retro sæculis decepti, & per humanas adinventiones ad idololatriam aduersi sumus? Ex hoc hominum genere veteramentarius quidam Burdigalensis ad Causidicum eiusdem urbis, à quo ut ad Catholicam rediret Ecclesiam admonitus fuerat, venit, proiecto in mensam

quem sub pallio gestabat, Bibliorum codice, inquit: Equidem Missam frequentare non abnuo si eam mihi in nouo Testamento ostendas, Mihi sane folia omnia & singula peruolanti, ne vox ipsæ quidem occurrit. Tum alter ille: Quid naras, inquit, homo suauissime? Ergo ne illud tuum *Credo in Deum* posthac vsurpes moneo; neque in nouo Testamento verba hæc reperies. Tum nec ulla Sacramenta, nec Trinitatem esse credas: quum ne hæc quidem in libro illo extant. Non possum hic quin cum S. Augustino exclamem. O miseri homines! qui sine duce libris diuinorum mysteriorum plenis vos immisceris, ac sine magistro de ijs quæ non intelligitis, iudicatis. Borderius vnus ex primis Caluini discipulis, narrare solebat, Caluini cum Carolo Sagio de Missæ sacrificio in Pisonibus habito sermone, monstrato Bibliorum codice dixisse: Hæc mea Missa est. Deinde proiecto in mensam pileo, sublatis in cœlum oculis, exclamasse: Equidem, Domine, si in extremo iudicio punire me velis eò quod Missam non frequentarim, iniuriam mihi fieri dicam, quum mihi ut id facerem, non præceperis. Ecce enim hic legem tuam, ecce Scripturam, ut religionis norma esset à te traditam; in qua nulum ego aliud sacrificium reperio, quam quod in altari Crucis fuit immolatum. Sic ille. Atque hoc quidem omnium hæreticorum semper fuit pseudhyron.

II. Sed audi, Caluine. An nescis, Saluatorem nostrum eo die quod mysteriorum hoc mysterium instituit, ac preciosum suum corpus manducandum dedit, Apostolis ut idem facerent præcepisse? id est, ut iidem sacrificarent. Ipsa quidem Missa nihil aliud est, quam Evangelicum sacrificium, à Prophetis prædictum, multisque figuris significatum; ac publica ac celebris magis illius mysterij quo Mundus sanctificatus est, representatio, ut D. Thomas loquitur. Dicere Missam, nihil aliud est, quam accipere panem, gratias agere, consecrare, & panis ac vini substantiam in carnem ac sanguinem Iesu Christi, virtute Sacramentalium Verborum conuertere. Eadem sacrificium est, & sacra actio, in qua causa populi, precibus & oblatione corporis ac mortis Saluatoris nostri interuenientibus, coram Deo agitur, ut Augustinus testatur.

III. Sacrificij huius offerendi mandatum Christus Apostolis dedit, eorumque successoribus; formã vero ac ceremonias Ecclesie arbitrio reliquit